



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 5. Divites periculis obnoxii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

Judicare egeno, & pupillo; humilem, & pauperem justificare. Pf. 81. 3. Justificatio supponit culpam, & delet præcedentem maculam. Dicit ergo, peccatorem justificare, aut pauperem eripite. Paupertati justificationem prudenter exoptat: quia scit, apud humanos Judices, & tribunalia, pauperem semper, uti peccatorem, damnari; cum dives absolvatur ut justus. Id. in Jos. 9. §. 20.

§. V.

Divites periculis obnoxij.

Dives quidem nihil aliud mihi esse videtur, quam civitas absque muris in agro sita, & undique insidiantibus exposita. S. Chryl. hom. 13. in act.

Non aliter in divites Sathan inflit, quam canis quispiam panis buccellam, aut placentam, de manu parvuli abrepturus. Id. in ep. Rom. 3. serm. 7.

Quem non metuit dives? an non latrones? an non potentes? an non invidios? an non calumniatores? & quid calumniatores? aut latrones, dico? familiares suos suspectos habet. Id. hom. 35. in ep. 1. ad Corinth. c. 4. Videplura hic.

Quemadmodum passer, & à pueris, & à visco, capitur, & à laqueis, & ab aliis innumerabilibus; ita etiam qui est dives, & suorum, & hostium petitur insidiis; & in majore, quam ille, versatur periculo. Id. in Pf. 10.

Facile amittunt cœlestia, qui terrenis abundant. S. Laur. Justin. l. de cast. connub. cap. 4.

§. VI.

Divites sunt miseri.

Homo quidam erat dives. Luc. 16. 19. Hunc, tanquam durum, & in pauperes inhumanum, Dominus anonymum, nominisque expertem, inducit: nempe ut exemplò id confirmet, quod per prophetam de iis aliquando pronuntiârat, qui DEUM non metuunt. Pf. 15. *Nec memor ero nominum eorum per labia mea*: pauperem verò propriò nomine designat; siquidem tales in DEI lingua, & ore, obversantur. S. Titus Boltr. hic.

Erat quidam mendicis nomine Lazarus. Luc. 16. 20. Ubi ergo nomen divitis? nusquam: quippe qui nomine careat. Quantæ divitiæ! arbor foliis vernans, sed fructu destituta: quercus in altum protensa, quæ glandem brutis animantibus in cibum suppeditat. S. Chryl. t. 6. tr. in terræ mot.

Leoni X. alchimiſta librum dedicaverat de arte aurum conficiendi. Cum speraret magnam honorarium, tandem Papa crumenam bene magnam homini dedit, inquiring: quoniam aurum tibi ipse conficere potes, dari *Polyant. Sacr. Tom. 1.*

tibi solum necesse est, quòd illud recondas. Sic DEUS cum iis agit, qui omnì studio aurum comparant: dat eis vacuum crumenam, ut impleant ipsi. Et quia in conatu suo sæpe deficiunt, bursa vacua manet. Jonghen p. 3. Exh. 4.

§. VII.

Divitum conditio in morte.

Dormierunt somnum suum, & nihil &c. Pf. 75. 6. Dormierunt enim in cupiditatibus suis; delectat illos: transit somnus iste, transit vita ista; & nihil invenierunt in manibus suis, quia nihil posterant in manu Christi. Vis aliquid invenire in manibus tuis postea? noli contemnere modò manum pauperis; & respice manus inanes, si vis habere manus plenas. S. Aug. in Pf. 75.

Omnia flumina intrant in mare. Ecclæ 1. 7. Cum flumina sint aquarum dulcium, habent tamen fines amarus. Non potest quæri in mari, quisnam sit Tagus? aut Nilus? aut alius fluvius? Divites hujus sæculi sunt fluvii (*divitia si affluant*) nunc dulces fluunt, in morte omnia amarefcunt, & confunduntur. Diez fer. 6. D. 2. Quadr.

Fili, recordare &c. Luc. 16. 25. Dentes integros, & valentes, summâ curâ fovemus; putridos extrahi curamus, & abjicimus. E contra pedes sanos laboribus, ambulatione exercemus, in pulvere, & cæno; si deficiunt, eos fovemus. Sic divites, quasi dentes, omnibus in honore; putridi, perditis opibus, despiciuntur. Pauperes ut pedes, in sæculo abjecti, laboribus expositi; si infirmantur, à DEO cœlestibus recreantur auxiliis; & si moriuntur, beatorum gaudent confortiò. Stella hic.

Vos alloquor divites, ac locupletes. Respicite finem; à cupiditate desillite; quæ possidetis, non amate. Quanto amantior fueris, tantò plus eorum, quæ ad te nihil pertinent, nihilque profutura sunt, relinques. Volo, tecum feras omnia, nè alienis relinques. S. Basilius l. 2. in divit. avaros.

Nescit natura divites, quæ omnes pauperes generat. Neque enim cum vestimentis nascimur, nec cum auro, argentoque, generamur. Nudos fudit in lucem; egentes cibo, amictu; nudos recipit terra, quos edidit. S. Ambr. l. de Naboth c. 1.

Dives in morte similis mulo regio, divitias multas deportanti; ex quibus nihil illi tandem manet, nisi plura ulcera, quæ ex tanto onere contraxit. Oforius fer. 3. D. 2. Quadr.

Avis, quæ inviscatur, dicitur miserior; nec gaudet de visco; nec libera dolet, quòd non inviscatur: quia viscus est ad malum ejus; sic viscus divitiarum. Ecclæ 5. 12. *divitia conservate in malum Domini sui.* Et licet modò viscum, seu laqueum, non sentiant; sentient in morte, sicut avis volare incipient.

Ooo

Tuna